

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA SECVNDA HEBDOMADAE TERTIAE QVADRAG. EPIST. 4. REG. 5.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

cardo salutis humanae versabatur. Itaque hanc calumniam confutat Christus ab administratione, concordia, & politica regnorum, quae si his quau' vinculis non contineantur, subsistere nequeunt. Siquidem omne regnum in se diuisum desolabitur: diuisum est autem regnum, ubi legitima potestati resistunt subditi, ac quod de regnis & monarchiis, id est de priuatis familiis iudiciū esse docet Christus: quod, scilicet, concordia facile crescant, & discordia dilabuntur. Ex his infert Christus fieri non posse, vt Satan Satanam eiciat.

Politia regnorum vnde.

3 Tercio, Ex proprietate, exorcistarū, vel Apostolorū energumenos iuuantium, Ducis atrium suum defendentis contra iniuriam hostium, & immundi Spiritus veterem suam mansionem repetentis, efficacissime docet criminationis huius falsitatem, atque in ipsos accusatores calumniam retorquet, docens se non alio Spiritu, quam sancto Demones abigere, quemadmodum ipsorum filii, quos vel inuiti fatebantur Spiritu sancto id facere. Pulchre autem ostendit hic Christus naturam inuidiae, quae de rebus optimis iudicat pessimè, & de pessimis optimè. Nunqua enim iudiciū, aut rationem in iudicando sequitur, sed corruptam affectionem. Ceteris autem duobus argumentis ostendit vsum huius miraculi. Significat enim regnum Dei, quo scilicet ipse potentia verbi sui in cordibus piorum regnaret, hoc est, vt contereret caput serpentis, Genes. 3. destrueret eum qui habebat mortis imperiū, Hebr. 12. & deleteret quod aduersum nos erat, chyrographum decreti, Colos. 2. iam adesse, iuxta vaticinia Prophetarum: id quod etiam ex ipsius miraculis animaduerti posset, quae prorsus aliena sunt ab effectibus & operationibus Satanæ. Videre etenim licet, quod Christus dispersa colligit, & collecta sperfa colligat, & collecta dispergit, sana debilitat, furatur, & maculat, Iohann. 10. Atqui pulcherrima hæc Christi doctrina quum irrita in Phariseis videretur, perierit tamen in vna muliere fructum veræ fidei, & confessionis: nam de Christo magnificè prædicauit, Luc. 11. Quod vt nobis contingat orandus est Deus.

Exorcistæ.

Inuidia natura.

Christus de sperfa colligit, & collecta dispergit, sana debilitat, furatur, & maculat, Iohann. 10. Atqui pulcherrima hæc Christi doctrina quum irrita in Phariseis videretur, perierit tamen in vna muliere fructum veræ fidei, & confessionis: nam de Christo magnificè prædicauit, Luc. 11. Quod vt nobis contingat orandus est Deus.

FFRIA SECUNDA HEBDOMADAE

TERTIA QUADRAGESIMAE. EPIST. 4. REG. 5.

Naaman princeps militia Regis Syri, erat vir magnus apud Dominum suum, & honoratus, &c. Finis Epistolæ: Veniat ad me, & sciat esse Prophetam in Israël, &c.

V I V S Epistolæ historia quatuor completur.

Singularis Regis Syriæ beneuolentia in suâ militiæ Principē.

Primò, Singularem Regis Syriæ erga suâ militiæ Principem Naaman beneuolentiâ, & fauorem: nam literis commēdatiuis, & autoritate Regia munitis, illum in Iudæam ad Regem, sanitatis recuperandæ causâ misit. Concepta scilicet, erga Deû Israël fiducia, & spe sanitatis adipiscendæ, ex relatu ancillæ captivæ. Neque enim haberi in Deû fiduciâ potest, nisi ex auditu fidei, aut legis cognitione, quæ quoddam ad perfectum neminem adducere potuit, sed tanquam sub pædagogio suos continuit: ideo & parua, & captiua fuisse describitur hæc ancilla: perfectio enim seruabatur per Christum afferenda: neque verò minor in ipso erat Naaman erga religionem pietas, morbi potentia id agente: peculiare enim esse Deo solet non tantum occulto motu, sed quasi uiolento ad se quosdā vocare, nepe, aduersitatibus, morbis, persecutionibus, & paupertate, aliisque id genus afflictionibus, quæ tum prodesse non tantum corpori, sed & animæ creduntur, quā, ut habet Aug. ad meliora compellunt: iuxta illud Psa. 118. Bonū mihi, quia humiliasti me, & Psa. 82. Imple facies eorū ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Fit enim nescio qua naturæ prauitate, ut in rebus prosperis Deum proisus aut contempnamus aut negligamus, nisi infirmitatis aliqua correptione coercemur. Itaque Principem hunc, licet magnanimum, fortem, & potentem, lepræ tamē morbo ita exercuit, ut honores & diuitias facillè contempserit præ sola pietate.

Perfidia Ioræ Regis Israël erga Deū viuū.

2. Secūdo, Perfidia Ioræ Regis Israël erga Deū viuū, cuius virtutē, quā intellexit admirari Syros, ipse contempsit. lectis enim Regis Syriæ literis, ex dissidentia scidit vestimenta sua: & expauit, dicens, *Nunquid Deus ego sum?* &c. Ipso facto prælagies fore, ut regnum ipsius propter

infidelitatem scinderetur, vt gratia fidei, Prophetica, donum miraculorum, quibus prae ceteris nationibus pollebat Iudaea priuaretur, & gentibus daretur. Cuius mysterij Symbolum hic Naaman prae se ferebat. Atqui Elisaeus, audita Regis sui diffidentia, animi consternatione, & tristitia, (Est enim hoc veri Prophetæ, & ministri verbi Dei munus) eum grauitè obiurgat, atque ex autoritate diuina ipsius incredulitatem damnat, non adulat, vt nostri solent Principum prædicatores, non loquitur placentia, metu amittendi officij correptus: sed liberè increpat, dicens, *Quare scidisti vestimenta tua, animi tui, scilicet, infidelitatem prodens? Veniat ad me, & intelligat Prophetam esse in Israël.* Hoc verò erat horrendum Dei iudicium, de quo Christus, Iohan. 9. se nimirum venisse in mundum, vt qui nō vident videant, & qui vident cæci fiant. Huius enim iudicij typum gerit hæc historia. Nam Iudæi Dei cognitione præditi, excæcatur, & gentes ignorantia Dei laborantes, illuminantur, & participes fiunt mysteriorum Christi. Sicut enim ad Elisæū cū equis, curribus, & famulis accurrat Naaman, ita futurū erat, vt audita prædicatione Euāgelij, ad Christū accurrerent gētes. Vide Psal. 17. 85. Zach. 13. Isai. 40. 43. 49. 65. 66. Roman. 15. spe nimirum iustificationis, peccatorum remissionis, & salutis adipiscendæ per Christum in sanguine ipsius, quem voluit Deus esse lauacrum regenerationis, & renouationis. Sed quid sibi voluit tanta Elisæi seueritas non prodeuntis, sed per famulum tantum sanitatis remedium indicantis? hoc, nempe, quod ait Apostol. Quia in sapientia non cognouit mundus Deum, placuit illi per stultitiam prædicationis saluos facere credentes: quod non potentia diuinitatis, sed gratia incarnationis, & Apostolorum prædicatione ad fidem & sacramenta vocarentur.

*Principum
predicatores,
quales.*

*Vocatio gē-
tium.*

3 Tertiò, Indignationem Naaman contemnētis Prophetæ præceptum, qua eleganter Philosophorum, Poëtarum, & Gentium superbia significatur, humilitatem crucis ridetium, vt nec animales percipiunt ea quæ sunt Spiritus Dei. Stulticia enim est illis, dum ad rationis humanæ iudicium exigere volunt consilia dispensationis diuinæ. Atque vt hic Naaman cōtempnit præceptū

*Naaman
Prophete
præceptum
cōtemnit.*

de lotionē in Iordane, & prætulit fluuios Syriæ & Damasci, Abana & Pharpar, ita carnales magni æstimat hæretici, ridēt fastū humanæ sapientiæ, diuitias, & volutates, & fidei simplicitatem, Sacramētorum humilitatem, & Ecclesiæ infantiam. Quò fit, vt alieni à gratia, vel impietate, vel infidelitate, quam in scripturis lepræ morbus significare solet, pereant, quemadmodum periturus erat hic Naaman, nisi singulari Dei beneficio animo mutato passus fuisset sibi persuaderi. Neque verò humano hoc factum est tantum consilio, sed inspiratione diuina. Neque enim, vt falsò putabat Pelagius, sola externa vocatio, cognitio, adhortatio, & correptio sufficit animo corrigendo, quin potius magis irritabūtur, si deit spiritus viuificans, qui de nolente volentem faciat, & ita moueat, vt dicat, Audiam quid loquatur in me Dominus, Psalm. 84. vt quemadmodum Naaman Elisæo, & famulo ita scripturis, legi Euāgelio, & Ecclesiæ obtemperet, captiuādo intellectū in obsequium fidei, remedia sacramētōrū æger infirmitate peccati amplectatur. Sunt enim septē Ecclesię sacramēta per Christum efficacia ad remissionem peccatorum, iustificationem, & ad gratiam Dei consequendam instituta.

Externa vocatio.

Septē Ecclesię sacramēta ad iustificationem consequendā instituta.

4. Quarto, Plusquā stupendam Dei potentiā, & gratiam, quam ministerio Prophetæ exhibuit incredulo, quem non solum credentem effecit, sed verbo suo obsequentem. Requirit enim perfectā iustitia mandatorū Dei obediētiā, sine qua nec licet sacramētorum energiam, & vim experiri. Pulchrè autem septies hæc repetita lotio sepiusformem Spiritus sancti gratiam adumbravit, quæ per Christum in baptismo omnibus fidelibus erat conferenda, de qua Isa. 11. Cuius primarij effectus sunt, veteris vitæ expoliatio, & noui hominis per peccatum amissi restitutio, Roman. 6. vt huius leprosi caro restituta est, sicut caro pueri paruuli. Est enim is effectus sacramenti baptismi, vt reatū mortis æternæ tollat, omnium peccatorum indulgentiam conferat, gratiam, qua tentationibus resistat baptizatus, concedat, & ex filio gehennæ filium adoptionis efficiat. Atque hoc est, quod ait Apostolus, Christum nos fecisse saluos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus san-

Baptismi effectus.

Ai, quem effudit in nos abundè iuxta illud Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, &c. Vt baptizati in Christo sint tanquam noua creatura, quia iam in eis nihil damnationis est, dum non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, Rom. 5. Nam quæ remanent in baptizatis infirmitates, concupiscentia, carnis erga spiritum rebellio, mors, aliæque vitæ incommoda nullam habent in se peccati rationem, ne ipsa quidem concupiscentia, si quando illi ad illicita impellenti consentitur: relinquuntur enim ad exercitium tantum, ita vt rectè dicantur baptizati, propter inhabitantem spiritum, carere omni peccato, & si non carcant omni malo, inquit Augustinus contra Iulian. lib. 6. cap. 5.

FERIA SECUNDA HEBDO-

MADAE TERTIAE, EVANGELIUM,

Lucæ 4.

Et ait illis, Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, Medice, cura te ipsum, &c. Finis Euangelij: Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

ERSTRINGIT hoc Euāgelio Christus varium & inconstans vulgi ingenium, quod leui momento huc illuc impellitur: quem enim antè ad sydera vsque extulit, hunc breui post in tartara deprimat. Itaque quatuor hoc loco præcipuè agit.

1. Primò, Ministros verbi monet, ne temerè margaritas porcis proiciant, aut sanctū canibus, id est, ne ingratīs auditoribus, aut contemptoribus frangant panem verbi: sed tales ciuitates, vrbes, vicos, & pagos deserentes, etiam puluerem de pedibus suis excutiant in testimonium, Luc. 9. 10. Act. 13. Matth. 10. contemptus, & ingrati tudinis. Vult enim Christus ministris verbi Dei suum reddi honorem, ac vitæ necessaria: ideo iubet, vt admissi in domum, edant & bibant, de iis quæ apponuntur, Luc. 10. Galat. 6. Cōmunicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. Di-

Christus ministris verbi sui vult reddi honorem debitum.

L iij

*Contemptus
ministorum
malus.*

gnus est enim operarius mercede sua. Hinc Sareptana, Sunamitis, 4. Reg. 4. Martha, Iohann. 12. Maria Magdalena, Iohanna vxor Chusæ, Sufanna, Luc. 8. Galathæ, Gal. 4. & Macedones, 2. Corint. 11. in scripturis laudantur: quod Eliæ, Elifæo, Christo, Apostolis, & Paulo vitæ necessaria, si non ad luxum, certè ad necessitatem suppeditarint, 1. ad Thessa. 2. 5. Rom. 15. Philip. 4. Siquidem, vt apertè hoc loco testatur Christus, fieri nequit, vt in ea Republica sementem faciat semen verbi, vbi contemptus est ministorum. Sequitur enim ibi necessariò ignorantia, cui sola veritatis doctrina mederi potest: qua neglecta, in omnia passim ruit vitia iuuentus, quæ semel corrupta vitæ licentia, quod superest temporis in omni lasciuiâ transigit. Hinc multas videmus alioqui florentes Respublicas eò dilabi, vt Catholicæ doctrinæ cognitionem aut prorsus amittant, aut pro neglecto habeant, dum malunt suis cupiditatibus indulgere, quàm eos, quos contemnunt verbi ministros audire.

*Domestica
penè contem-
nimus.*

2. Secundò, Singulari quadam prudentia (nam in omnes erant thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei reconditi, ad Colossen. 2.) docet, vnde accidit, vt frequenter verbi prædicatores contemnantur, idque ab exemplo Eliæ, & Elifæi, quorum hic in Iudæa ita contemnebatur, vt tempore famis, quum clausum esset cælum annis tribus, & mensibus sex, à nulla diuitum matronarum hospitio dignaretur, sed postquàm corui, & Angeli ministerio pasci esset, in Sareptam Sidoniorum, quæ ciuitas est Phœniciæ, inter Tyrum & Sidonem sita, ad pauperulam est ablegatus, 3. Reg. 17. Iste quum gratia fanitarum polleteret, multisque miraculis merito esset suspiciendus, (ornauit enim huiusmodi donis etiam veterem Ecclesiam Deus, quibus veros à falsis decerni voluit ministros) nulli tamen leprosum contigit per illum mundari, nisi Naaman Syro, 4. Reg. 5. Quod nequaquam ipsorum vitio accidisse docet scriptura, sed ob insignem contubernaliū, & superbiam, qua Prophetas notos & inter se educatos contemnebant: ita enim vsu venire videmus, vt domestica penè contemnamus. Parit enim nauscam copia, etiam rerum maxi-

marum, quum cōtra externa saepe vilissima admiremur:
& inuidiam, qua eos prosequēbatur, tanquam ipsorum
lasciuiaē hostes. Odit enim semper mundus veros Dei
ministros. Quò fit, vt præclarissima ipsorum dona, qui-
bus ad doctrinæ confirmationem eos solet ornare De-
us, videant & negligent. Sic Elisæum Caluum vocarunt
pueri, 4. Reg. 2. Paulum contemptibilem Pseudoapo-
stoli vocabant, 2. Corint. 10. Christus itaque exemplo
horum Prophetarum tacitè Nazaræos perstringit, indi-
gnos esse eos declarans, (licet missus esset ad oves, quæ
perierant domus Israël, Matth. 15.) quibus doctrina cæ-
lestis, cui pertinaciter resisterunt, miraculis aliquibus
confirmaretur. Alludens hisce duabus historiis, fore, vt
iuxta Prophetarum oracula, gratia noui testamenti, &
sacramentorum veritas, sublati Iudaicis cæremoniis
& vmbris, Syris, & Sidoniis, id est, gentibus, in obedi-
entiam fidei sese subiicientibus, daretur: qua de re va-
riis in locis concionantur Prophetae, Isa. 43. 54. 66. O se.
1. Hier. 16. Zacha. 8. 9. 14. Psalm. 17. 85. aliisque innu-
meris scripturæ locis. Significantur enim istis duobus,
scilicet, lotionē Naaman, & farina viduæ, primaria duo
symbola & sacramenta noui testamenti baptisumus, quo
caro peccati lepra infecta instar paruuli restituitur, &
cælestis illa alimonia Eucharistiæ corporis & sanguinis
Domini, quo filij, quo pascuntur electi.

*Gratia no-
ui testamēti.*

3 Tertiò, Horrendum Dei iudicium, & quod iure
omnes perhorrescere debemus, proponit in istis Na-
zaræis, quorum malitia vel ipsius Satanæ supera-
re videtur. Is enim præcipitium tantum suadere au-
sus, vim nullam intentare præsumpsit, sed rationi-
bus, & scripturis victus abscedit: hi verò præterquam
quòd peruersi non corriguntur, sed magis & irritan-
tur, & accenduntur. Nam non contenti dictis ac
scommatibus, Dei filium, quem non poterant, nisi
affectata ignorantia, non agnoscere, è synagoga ex-
pellunt, extra ciuitatem protrudunt, ad montis ca-
cumen pertrahunt, & præcipitium intentant. Ex qui-
bus perspicere licet, quos fructus in homine pariat
voluntas humana, fidei lumine destituta, odio, & in-
uidia excæcata. Tantum enim abest, vt oblatam

*Horrendū
Dei iudiciū.*

*Fructus va-
luntatis hu-
mane in ha-
mine.*

veritatem recipiat, ut magis etiam oppugnet, atque precipitare conetur: quod malum eò est gravius, quòd potiora sunt, & maiora præsidia, ac dona quæ reiciuntur. Hi etenim Nazarei ciues præter eam, quam ex scripturis habere potuerant, de Christo cognitionem, habebant familiarem ipsius conuictum & contubernium, quæ si, ut oportebat, voluissent obseruare, intellexissent facile, longè illum cæterorum hominum naturam, mores, ingenium superare, utpote in quo omnia diuinum quid potius, quam humanum præ se ferrent. Sed hic peculiaris est inuidis genius, ut gratuitis Dei donis in perniciem sui potius, quam salutem utantur. Quod & in nostri temporis hæreticis animaduertere licet, quibus semel est decretum veritatem agnitam oppugnare. Huc enim omnes suos conatus intendunt, ut Christum, id est, fidei veritatem, Ecclesiæ adimant, ac tandem præcipitent.

Genius inuidi.

Christi potentia & diuinitas.

4. Quartò, Christi potentiam & diuinitatem, qua potuit contra naturam corporis physici, sine vlla penetratione dimensionum, non tantum densissima quæque penetrare, verum etiam hostium furori, oculis, & conatui sese subducere, ipsosque illudere, ut sæpius captantes, nunquam caperent, nisi dum vellet ipse: quod efficacissimum erat diuinæ potentiae argumentum. Mortalium etenim nullus est, ne Regum quidem, aut imperatorum, qui non frequenter inuitus & satis reluctans in hostium manus incidat, ac dedere sese cogatur. Si quis alius scripturæ locus, certè hic vnus debuerat crassos sacramentorum errores elidere, ac prorsus eneruare. Si enim potuit diuinitas corpus mortale adhuc, passibile, & qualitatibus corporeis obnoxium tale efficere, ut nec videri, nec palpari, aut vllò sensu corporeo percipi posset: quidni potuit virtute verbi sui corpori glorificato hoc præstare? Sed crassior est hic error, quam ut refutari debeat: statim enim ut indicatur, se prodit.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE
TERTIAE QUADRAGESIMAE, EPI-
stola, 4. Reg. 4.

Mulier autem quedam de vxoribus Prophete